

# Studia Papiniana

scripsit

C. APPELMANN.

## I

**A**nte hos undecim annos Aemilius Grosse dissertatione inaugurali (obseruatorum in Statii siluis specimen. Berol. 1861 p. 4) se ab Alberto Imhofio scire professus est, eum nouam siluarum P. Papinii Statii editionem parare: sed praeter duos libellos, alterum commentarym de siluarum Statianarum conditione critica (Halis 1859), alterum carmen lib. III, 5 (Eclogam ad uxorem) varia lectione commentarioque instructum continentem Imhofius nihil quantum nouimus de Statio publici iuris fecit. id quod ualde dolemus. nam negari non potest, Imhofium commentarye illa doctissima nouum quadam criticae Statianaee antea uagae et coniecturarum quasi mole obrutae fundamentum posuisse. praesidiis enim criticis ut ante eum nemo instructus falsam esse opinionem, ex libris manu scriptis quippe perditissimis eisdemque recentioris aeui salutem siluis Statianis non posse sperari exemplo comprobauit Marklandi cuius vestigiis ingrediuntur recentiores omnes qui Statium ediderunt. Marklandum igitur libris manu scriptis prorsus destitutum non solum coniecturas uirorum doctorum permultas in textum admisisse, uerum etiam saepissime ingenio indulgentem uulgatis lectionibus temere abiectis coniecturas quamvis ingeniosas recepisse compluribus exemplis exposuit (de cond. pp. 5—10. 12—26). adiecit huic disputationi indices duos eos locos omnes continentes quos Marklandum non recte aut uirorum doctorum aut suis coniecturis contra omnes codices nec cogente sententia mutauisse putaret. quibus in indicibus complures insunt loci de quibus cum uiro illustrissimo non consentiamus. nam etsi sententiae eius de librorum manu scriptorum editionumque uetustarum auctoritate subscribamus, tamen interdum acrius quam iustius de Marklando iudicasse nobis uidetur. nam si quis adspiciat indices Imhofianos, is oportet doctissimum et ingeniosissimum uirum quam uiolentissime in Statii siluis esse grassatum. at Marklandus tam caute egit, ut magnum suarum coniecturarum numerum in textum editionis recipere non auderet: quas aut in margine singularum paginarum

inferiori litteris L (i. e. Lege) vel F (Forte) additis posuit aut omnino a textu amouit. et index quidem prior continet locos sexaginta quattuor, posterior trecentos nonaginta quattuor, in quibus undecim aut ad totos uersus aut ad singula uocabula a Marklando pro spuriis iudicata pertinent. in margine littera L addita leguntur loci I, 2, 45. 267 prioris indicis aliorum virorum doctorum coniecturas continentis: posterioris ipsius Marklandi coniecturas complectentis I, 1, 23. 2, 105. 150. 152. 3, 32. 50. 51. 58. 90. 103. 4, 84. 88. 5, 64. 6, 33. II, 1, 181. 189. 205. 2, 7. 16. 137. 4, 19. 32. 6, 83. 7, 46. 59. III, 1, 89. 90. 3, 109. V, 1, 149. 2, 120. eos igitur locos Marklandus emendauit, emendationes autem in textum recipere non ausus est. accedunt loci, in quibus Silligius Marklandi coniecturas textui editionis Dresdensis inculcauit: II, 1, 223. 6, 82. 96. 7, 92. III, 1, 129. 4, 60. IIII, 1, 45. 4, 49. V, 1, 220. 4, 10. — Forte uocabulo addito in margine editionis Marklandiana leguntur coniecturae III, 4, 66. I, 1, 28. II, 1, 9. 56. 7, 92. III, 3, 57. 68. 203. 4, 88. 5, 56. IIII, 1, 9. 25. 28. 2, 6, 24. 6, 65. 66. 98. V, 1, 201. 202. 220. 2, 21. 159. 3, 63. 119. 4, 10. 5, 14. 31. 33. in notis tantum emendandos proposuit Marklandus locos indicis prioris II, 6, 13. III, 5, 102. IIII, 3, 23. 53. 8, 54. V, 1, 252; indicis posterioris I, 2, 27. 32. 50, 148. 158. 3, 21. 42. 43. 64. 65. 105. 4, 129. 5, 43. 6, 67. II, 1, 27. 41, 95. 127. 148. 214. 2, 26. 53. 60. 65. 80. 96. 105. 118. 149. 3, 9. 14. 19. 5, 12. 13. 22. 6, 6. 93. 7, 11. 14. 24. III, 1, 36. 44. 122. 139. 148. 2, 56. 71. 75. 119. 3, 58. 105. 111. 181. 4, 54. 55. 60. 70. 94. 5, 7. 16. 49. 66. IIII, 1, 14. 3, 33. 88. 4, 63. 100. 6, 7. 9. 32. 45. 61. 69. 7, 3. 8, 6. 17. 26. 53. V, 1, 17. 50. 252. 253. 2, 4. 9. 11. 55. 60. 109. 118. 125. 129. 160. 175. 3, 3. 9. 17. 35. 72. 91. 104. 105. 111. 114. 164. 174. 4, 8. 10. 11. 12. 5, 11. 39.

De omnibus his locis fusius agere propositi fines longe superat: in plerisque iustum mutandi caussam non inueniri sine dubio Imhofio concedendum est. sed de uno alteroue loco cur Marklandum non recte ab Imhofio uituperari existimemus paucis exponere nobis liceat.

Ad u. I, 6, 58 Imhofius haec notat (de cond. p. 27): Marklandus breves statim per artus — omnes codices breuis statim peracta. in textu autem Marklandi legimus

Quos natura breui statu peractos

et in margine: Vulg. statim peracto. hanc uulgatam fuisse scripturam ante Marklandum uel ea ex re colligi potest, quod etiam Gronouius diatr. p. 82 (cf. Elench. antediatr. p. 73) illam exhibit. Gronouius ex libris breuis statim peractos coniectura restituit his uerbis: „breuis natura est haud larga, haud longius indulgens. — statim peractos est cito consummatos in tantum, in quantum natura ipsis indulta erat“. quae emendatio

Marklando propterea non arridebat, quod aut statim uox aut semel uersu sequente esset superuacanea et legendum esse censuit ut apud eum legitur. postea autem peractos uox ei displicebat et breuis per artus suspicatus est. iam uero quum hac mutatione statim uox antea abiecta ultro rediret, altera quam huic aduersari affirmauerat semel reicienda erat. similes igitur pro semel scribi iussit et nodoso globo pro nodosum in globum. — rectissime quidem Imhofius librorum scripturam restituendam esse dixit et hoc indice et annotatione ad u. III, 5, 86 (eclog. ad ux. p. 24): neque tamen Marklandum temeritatis notare debebat quippe qui neque librorum scripturam peracta cognitam habebat neque coniecturam suam violentiorem quamquam elegantiorem in textum admitteret.

u. III, 1, 92 Dicarchaeae coniecturam pro Dicarchei librorum scriptura in textum Marklandus recepit — alteram emendationis partem quam Imhofius de cond. p. 28 commemorat non admisit. Dicarchaeae antem coniectura non opus esse Imhofius ad carm. III, 5, 75 (ad ux. p. 22 sq.) demonstrauit.

u. V, 1, 252 in textu Marklandi erat emendatio Geuartiana placidos: sed in Addendis Marklandus non solum placidum lectionem defendi posse ait, sed etiam quum editiones uetustissimas omnes placidus uocem seruare uideret, eum consensum prae-grauare debere statuit. quam ob rem editor Dresdensis recte librorum scripturam in textum restituit: nihilo minus Imhofius locum p. 12 omittere noluit.

u. II, 1, 27 apud Marklandum legebatur uulgata scriptura uexo, quam in notis in uexans mutandam esse censebat: „sed, inquit, uitium maius subesse — opinor; nec mihi met satisfacio“. postea igitur nactus editiones Parmensem et Romanam harum lectionem uerso reponi et pro tecum Phoebo scribi iussit. itaque editor Dresdensis uerso lectionem textui reddidit et Imhofius p. 27 iniuria Marklandum reprehendit.

Neque etiam u. II, 5, 12 sq. in textu Marklandi leguntur quae ab Imhofio p. 28 exhibentur. nam quum Imhofius scribat Marklandum legere occlusis circumundique portis — pauidō gemuere, in textu legimus clausis circum undique portis — pauidi gemuere, quae uerba uir summus in impressis inuenisse uidetur. librorum autem manu scriptorum lectionem quam editiones Parmensis et Romana suppeditabant abruptam esse censebat et de coniectura dedit quae Imhofius habet, sed uulgatam mutare ausus non est.

uu. V, 3, 104 sq. Marklandi coniecturae in textu eius non legebantur, sed librorum scriptura praeter sepultum uocem, quae ueterum impressorum lectio fuisse uidetur. priori uersui uoces semiustos Vesuuino fulgure editor Dresdensis inseruit, posteriorem non mutauit. ea enim editio habet

Exere semiustos Vesuuino fulgure nultus,  
Parthenope, crinemque afflato monte sepulti  
Pone super tumulos.

Imhofius nihil curans textum Marklandi coniecturas reprehendit: at fugit eum Vesuuino non esse coniecturam Marklandi, sed Nic. Heinsii ad Sil. Ital. XIII, 583: quam ob rem in priore indice (p. 12) locus huius emendationis erat. — sed quum hi uersus neque in nouissima Statii editione ad fidem librorum optimorum sint restituti neque faciles ad intellegendum esse uideantur, paulo accuratius eos examinemus.

Et Gronouius quidem (Elench. antediatr. p. 173) legi nult ex sere semiruto subitos de puluere uultus, non semirutos subito. „semirutus, inquit, puluis est quod alter: eiectas adesi fundamenta iugi“. itaque semirutus puluis, subiti uultus. sed ex hac interpretatione colligere quid denotet semirutus puluis nos nullo modo posse libenter concedimus. neque etiam Marklandus intellegebat, cui ualde arridebat N. Heinsii coniectura Vesuuino e uocibus de subito facta — quem uocabulorum ordinem in libris inueniri Queckius ait (Ed. Teubner. I p. XXVI), negat O. Müllerus (Quaest. Statian. Berol. 1861. p. 32). quantum nouimus constans librorum scriptura haec est:

Exere semirutos subito de puluere uultus  
Parthenope crinemque afflato monte sepultum  
Pone super tumulos.

Conatus est interpretationem Fr. Duebnerus, qui in annotatione ad hunc locum haec habet (Stat. op. Lips. 1837 I p. 288): „erige Parthenope uultus tuos e puluere, qui Vesuui eruptione necopinantibus iniectus eos paene diruit et deleuit (cf. Wakef. ad Lucret. II, 367.)“ de qua interpretatione ipse dubitauisse uidetur, quum ante ista uerba legamus: „quae si seruantur (uerba codicum editionumque uetustarum), in hunc prope modum explicanda erunt“. — iam semirutos uultus Parthenopes esse apparent: et semirutos esse subito puluere. semiruta est, exempli gratia, urbs ex parte diruta (Liu. V, 49). Parthenopes igitur uultus ex parte diruti sunt puluere subito. puluis hic nihil aliud esse potest, nisi cinis quem mons igniuomus Parthenopes sedes magna ui eructat. qui cineres quum sint calidissimi, num miraris quod Parthenopes etsi Deae uultus esse semirutos poeta dixerit? superest subitus puluis. non est inexspectatus, inopinus ut Marklandus putat, non necopinantibus iniectus, ut Duebnerus uult: immo cineres sunt repentina ictu e monte in altum eiecti subito prouenientes. (Plinius iunior apud Gronouium diatr. p. 351 de Veseuo VI, 16, 5: iam uadum subitum). de celeritate enim eruptionis uox intellegenda est et absolute accipienda, non de puluere qui adstantes inopinatos oppressit. quae si ita se habent, uersus eum in modum uertendus est: Erhebe, o Par-

thenope, dein halbzerstörtes Antlitz aus den plötzlich hervorbrechenden Aschenwolken.  
non igitur opus est Marklandi coniectura quamvis eleganti semiustos (uel semustos)  
Vesuino fulgere uultus: uerbo eam commemorasse satis habemus.

Neque minorem dubitationem uersus sequens habet: difficilior, inquit Marklandus,  
adhuc priore loco. reuertamur igitur ad Gronouium missis coniecturis ante eum propo-  
sit is, et Lipsii afflata mente et Dan. Heinsii afflatum monte („hac interpretatione  
pone, o Parthenope, crines tuos, ut sunt etiamnum ambusti et afflati incendio Vesuuini  
montis, in tumulo parentis mei.“ Gron. diatr. p. 349). coniecturis nec nostro loco opus  
fore speramus. Gronouius igitur uulgatam lectionem interpretatur: „iubet Parthenopen,  
Diuam praesidem Neapolitanae urbis et regionis, tumulo parentis crines imponere. fingit  
autem ipsam Deam Parthenopen inhabitare seu sacram sibi sedem montem Veseuum:  
ut plerumque loca inaccessa deorum esse putabantur et religione etiam, etsi alias iuia,  
septa erant. tum Parthenopes caput dicitur merito, quod altissimum in Neapolitano  
districtu est, id est mons Veseus, qui ignes eiectabat. porro crines ignium flammae  
frequenter dicuntur. — ita crines Parthenopes utpote in capite Vesuuui finguntur flam-  
mae e Vesuuio emicantes. quomodo poneret illos super tumulum Papinii patris? adflato  
monte, hoc est, si adflaret tumulo incendium montis Veseui. mons pro quaunque eius  
parte, aut quocunque in monte. — ut — ruit mons, consumitur, obicitur, deicitur,  
perfunditur, torquetur, descendit (Stat. Theb. XI, 195; cf. Handii notam ad diatr. p. 352),  
mergitur, ita etiam adflatur. adfla montem Parthenope tumulo et ita super illum flam-  
meos tuos crines pone“ (diatr. p. 349 sqq.). crinem igitur uir summus non Parthenopes  
Deae, sed ignem montis putat esse Vesuuui: quod si ita esset, futurum fuisse Marklandus  
exemplis Gronouianis docet, ut poeta uocem aliquam rerum flammearum notionem conti-  
nentem adiungeret, siue ignem siue faces siue astrum siue cometen: nunquam uocem  
illam absolute pro flamma ponit. recte quidem et acute Marklandus ut solet poetarum  
morem obseruauit: tamen dubito num in Statio talis aliorum poetarum mos argumenti  
uim habeat. neque uero in hac uoce difficultas latet, sed in eis quae sequuntur afflato  
monte: neque Gronouiana explicatione artificiosa nec satis dilucida iuuabimur, dum lec-  
tionem uulgatam seruabimus. nam in codice Rehdigerano et editione Parmensi non est  
sepulti, sed sepultum. coniecit igitur Nic. Heinsius adflatu montis adustum. sanius  
hoc, inquit Marklandus, quam ceterorum omnium coniecturae et interpretationes. sed quum  
ex sua emendatione quam certissimam habet praecesserit exsere semiustos etc.,  
magis ei placet crinemque adflatu montis adesum — eodem sensu. quin causa  
mutandi talis futilis sit iam dubium non est. sed quaerendum est, num omnino  
mutatione opus sit. Fr. Duebnerus, etiamsi uerba genuina habeantur integraque ser-

uentur, afflato tamen monte summam necessitatem esse mutari in afflatum monte cum V. D. ap. Gron. p. 349 affirmat: nam in uerbis afflato monte sensum esse nullum. in textu scribit afflato monte sepulti, sicut etiam Queckius, qui Vratisl. codicis lectionem sepultum non conuenire existimat. attamen uerissima est neque mutatione adflatu montis opus est. pone, o Parthenope, inquit Statius, super tumulos patris mei crinem tuum afflato monte sepultum. imponi solere crimes tumulis carorum defunctorum a ueteribus cognosces ex Gron. diatr. p. 353 sq. sed qui potest crinis dici afflato monte sepultus esse? meminerimus quae Gronouius supra dixerit: mons pro quacunque eius parte. mons igitur nostrō uersu nihil aliud est, nisi subitus puluis uersus praecedentis, cineres e monte in altum electi. itaque montem afflatum dicit poeta pro puluere afflato uel cineribus afflatis. sed quomodo afflatus? potes intellegere a uentis uel potius a monte ipso, ita ut sit puluis afflatus = magno efflatu appulsus. et puluere afflato sepultum esse crinem Parthenopes dicit poeta, id quod nos diceremus tectum, conditum, obrutum. sepelire uerbum non solum de corpore humano in terra deposito et humato usurpari, sed etiam de aliis rebus ita obstructis ut paene deletae uideantur nemo est qui ignoret: qua de re uideas Bentleium ad Horat. carm. IIII, 9, 29. sic bene quadrare crinem afflato monte sepultum censemus ad semirutos puluere uultus uersus praecedentis et Statium uersus istos ita scripsisse, ut optimus inter omnes siluarum codices Rehdigeranus eos seruauit:

Exere semirutos subito de puluere uultus,  
Parthenope, crinemque afflato monte sepultum  
Pone super tumulos.

Jam uero ad Imhofium redeamus. u. II, 1. 116 Marklandus pro librorum scriptura fregisset ex Vergilii loco a Gronouio laudato ueram esse lectionem autumat pressisset. apud Imhofium de cond. p. 28 hunc locum desideramus, quamquam Marklandus conjecturam in textum admisit. id quod eo magis miramur quod Queckius (p. XIII) fregisset codicum editionumque plerarumque esse lectionem confirmat: nonne hoc est codicum omnium? Rehdigerani certe est nec uariae lectionis uestigium usquam deprehendimus. et bene quidem explicauit uulgatam lectionem Gronouius obs. IIII, 21, quae uerba apud Marklandum leguntur, et diatr. p. 90. aut igitur Imhofius ob probabilem codicum discrepantium locum omisit aut fregisset uocem suspectam putat.

Duobus uersibus post ex similitudine uersus Horatiani (carm. I, 6, 8):

Nec cursus reducis per mare Ulixei

(at in libris non est reducis, sed duplicitis: illud Bentleio debetur) Marklandus etiam nostro loco forte scribendum esse cursus censuit: quam conjecturam etsi in textum non receptam Imhofius p. 28 omittere non debebat.

II, 6, 16 Marklandus que uocem cum sibi coniunctam abundare existimat et aut qui sponte sibi qui aut sibimet, si uox unquam uersum finiat, proponit. sed uerba sanissima nobis esse uidetur: qui sponte (scil. seruus) sibique Imperiosus erat — et Marklandus Imhofio pag. 28 notandus.

Eiusdem carminis u. 22 Marklandus contra omnium codicum auctoritatem (Queck. p. XVII) capientis conjecturam in textum admisit: tamen Imhofii nota p. 28 deest — an propterea quod Marklandus in notis „melius — forte nihil in contextu mutasse“ ait? non semper hoc Imhofio satis causae. Omissae porro sunt Marklandi conjecturae in textum quidem non receptae p. 54 Aonium, u. 59 exigit, u. 62 ubi sine iusta caussa aut undassent aut nudassent proposuit.

u. II, 7, 49 Marklandum recte emendauisse putamus, neque uero eiusdem carminis u. 52 exeres. primum enim Queckium non intellegimus quum dicat (p. XVIII). „Vrat. canis, ceteri exeris“. nam Rehdigerani collatio ad editionem Dresensem (Silligii) facta distinete habet exeris neque aliter Heinsium neque Gronouium legisse uidemus: Marklandi conjecturam exeres O. Müllerus (l. l. p. 27) defendit his uerbis: „— supra Calliope dixit mouebis trahes et infra tempora futura usurpare pergit ludes, reserabis, proferetur, dices, dabis. quam ob rem neque dubitari potest, quin scriptura carus — genuina sit, neque imprudenter Marklandus uersu sequente correxit exeres“. de carus quidem scriptura nihil dubitamus quippe quae codicum probabilium auctoritate (Bud. Sal. Urb. Oxon. It.) satis confirmetur, sed etiam exeris uocem esse genuinam et recte a Queckio restitutam persuasum nobis est. temporum enim aequabilitatem non semel Statius neglebat: infra u. 77

Et qui per freta duxit Argonautas  
Et qui corpora prima transfigurat.

V, 1, 33

— Citius genetrix Sipyleia fertur  
Exhausisse genas; citius Tithonida moesti  
Deficient rores, aut exatiata fatis et  
Mater Achilleis hiemes affringere bustis.

Sipyleia (uel si pelea) fertur omnes codices. Imhof. de cond. p. 11.

V, 4, 8

— totidem Oeteae Paphiaeque reuisent  
Lampades et totiens nostros Tithonia questus  
Praeterit et gelido sparsit miserata flagello.

Rehdig.: reuisent (alii reuisunt) — praeterit — sparsit. cf. Imhofii notam ad III, 5, 53 (ecl. ad ux. p. 20).

u. III, 2, 66 ab Imhofio omissus est, quod Marklandus in Addendis uulgatam ferri posse concedit: attamen in margine editionis est L. impressis. — neque opus esse uidetur mutatione heu pro eo quod in libris est et u. III, 3, 25. — eiusd. carminis u. 184 Queckius recte codicum scripturam placauimus, abiecta Marklandi conjectura placauimus, quam in editionem recepit, restituit. — u. 79 Marklandus pro superos metuens aut superum famulo aut superis famulans proposuit. Imhofius omisit fortasse quia Marklandus ipse dubitabat („non placet mihi tam ingenioso esse, ut in contextu quidquam mutem“).

u. III, 5, 45 Heinsius ad Ouid. Trist. V, 5, 43 „propter tot uoces in as exeuntes“ coniecerat:

Qua ueteris Latii Graiisque heroisin aqua es.

sed quum ex silu. u. V, 1, 255. Ouid. art. am. 713. amor. II, 4, 33 satis appareret, ueteres heroidas probum esse Marklandus Graiumque heroidas coniecit. codices hoc loco omnes consentire Imhofius docuit et uulgatam in textu seruauit — in indice autem hunc locum frustra quaerimus. neque aliter eiusd. carm. u. 12 Heinsii conjectura uerso in indice priore desideratur, quamuis Imhofius de cond. p. 7 omnium codicum lectionem merso recte explicauerit. praeterea indici priori (p. 11.) inserendi erant u. IIII, 2, 59, ubi perperam Marklandus Barthii conjecturam habilesque pro librorum habitesque, in quo offensionis nihil est, in suam editionem recepit — IIII, 3, 76 ubi Marklandus Turnebi emendationes at nunc uel en nunc probat, in textum non admisit. ad posteriorem indicem pertinent IIII, 2, 27 multa, quam uocem Marklandus corruptam censet, genuinam esse Imhofius de cond. p. 39 affirmat; — eiusd. carm. u. 52 Germanice uisus; V, 2, 4 surgentes; 3, 52 mersum (in textu). u. 151 Marklandus librorum scripturam doctus in docti mutauit, ne Battiae uox epitheto careret, quum reliqui poetae omnes adiectiuo essent condonati: atri Lycophronis, Sophrona implicitum, tenuis Corinnae. satis hoc nobis causae non esse uidetur, cur omnium librorum scriptura abiciatur, quam rectissime Queckius restituit. — u. 181 Marklandus ex edd. pr. et Parm. recte reposuit Auguribus, quae scriptura collatione cod. Rehdigerani Silligiana confirmari uidetur. at miramur quod Imhofius Marklandum notare noluit qui praesagis — certum pro librorum praesagum — certis proponeret. nam tali mutatione nihil opus est neque Marklandus in textu quidquam mutauit. u. II, 6, 73 sqq. libri manu scripti impressique ueteres omnes exhibent:

Attendit toruo tristis Rhamnusia uultu  
Ac primum impleuitque toros oculisque nitorem  
Addidit et solito sublimius ora leuanuit,  
Heu! misero letale fauens seseque uidendo  
Torsit et inuidia mortemque amplexa iacenti

Iniecit nexus carpsitque immitis adunca

Ora uerenda manu.

Marklandus quum inter Rhamnusiam et inuidiam non interesset, Statium scripsisse putauit  
et inuitam mortem complexa iacenti  
Iniecit nexus.

„Nihil, inquit, uenustius dici potuit: mors etiamsi blanditiis Deae Inuidiae electa, inuita tamen, praeter morem opus suum peregit: tanta amabilitas Phileti fuit“. Muellerus quaest. p. 16 ista uerba esse sana ostendit, „dummodo recte inter se coniungantur sic: seseque uidendo Torsit et inuidia, mortemque amplexa iniecit nexus. consulto hoc factum est, ut uerbum uidendi cum inuidia ita copularetur“. addere poterat, sic etiam copulari iacenti iniecit. in nouissima siluarum editione mendose mortem amplexa legitur: quod mendum non typographi esse sed editoris Muellerum uelle ea re apparet, quod inter eos locos enumerat, in quibus coniecturae in textum receptae legibus metricis aduersentur: sed nihil esse nisi errorem typographicum (sicut III, 1, 34 ubi agmen uox deest) satis constat. Queckius enim praef. p. XVIII uersum ante Muellerum recte interpretatus est, quum diceret: „dici potest Rhamnusiam inuidia i. e. odio moueri, ludere uidetur poeta uerbis uidendo et inuidia“. — utut hoc est, sana sunt poetae uerba et locus Imhofio in indicem erat recipiendus.

Praeter hos locos sunt qui apud Imhofium deesse uideantur quod Marklandus ipse aut se nihil mutare uel mutare audere (III, 1, 5. 2, 58. V, 1, 167), aut mutatione non esse opus (V, 2, 145. 170. 3, 41. 208) aut forte nihil mutandum esse (V, 1, 9. 2, 115) aut coniecturam utpote suspicionem tantum uel sine exemplis non esse admittendam (III, 4, 37. V, 3, 34) declarauerit. similiter etiam Marklandus saepius de locis iudicauit, quos ab ipso in textum non admissos, tamen ab Imhofio notatos supra demonstrauimus. sunt eiusmodi: u. III, 5, 102 adhaerere se dicit Marklandus Heinsiana coniecturae donec melius aliquid contingat et auctius; nihil esse mutandum III, 3, 58. V, 2, 160. I, 3, 64; uulgatam posse defendi III, 5, 7. V, 3, 114; forte uel melius legendum esse (legi posse) I, 2, 50. 148. 158. 3, 21, 4, 41. 5, 43. II, 1, 49. 3, 111. 5, 22. 7, 24. III, 2, 54. III, 6, 9. 7, 3. V, 2, 9; se suspiciari uel legi malle I, 6, 67. II, 1, 60. 2, 53. 65. III, 2, 71. 105. 5, 16. III, 3, 33. 6, 61. 8, 53. V, 1, 50. 252. 2, 60. 3, 17. 174. 4, 10. 11. admodum etiam de suis coniecturis Marklandus uidetur dubitasse II, 2, 20. III, 4, 55. V, 3, 91. — u. III, 2, 43 ponti et u. V, 3, 29 caelum non Marklandi sunt coniecturae, sed Heinsii: illam ad Valer. Flacc. I, 501, hanc ad Ouid. Metam. VIII, 173 ab eo esse propositam Marklandus ipse monuit. quam ob rem uterque locus ab Imhofio in priorem indicem erat transferendus, quippe aliorum coniecturas a Marklando probatas continentem. — neque etiam genitor

II, 1, 90 Marklando debetur, sed editioni Parmensi, et II, 3, 14 dubitamus ibi omnium sitne codicum scriptura, quum edd. Parm. et Rom. iam exhibeant: praeterea ibi formis inclinatis erat imprimendum, quum recentissima editio scripturam Parmensis et Romanae sequatur.

Compluribus locis Marklandus duas uel tres coniecturas in notis proposuit, Imhofius unam tantum indicibus inseruit: binas coniecturas apud eum legimus ad I, 2, 45. II, 1, 95. 96. coniecit autem Marklandus praeter ea quae Imhofius notauit: I, 3, 64 lymphas; II, 3, 17 uitrei — riui; 5, 7 torue; 6, 28 incestas uel matribus inuisas; 83 uesana; 7, 46 claros; IIII, 2, 6 non surgere; 4, 66 fortes; V, 1, 149 adsibilat, obnubilat; 201 pressum; 2, 55 refugoque; 120 patris flagrabat uel magis flagrabat; 125 pergit; 3, 161 gressibus; 174 deum mentes; 5, 31 tremulas.

Omnes has Marklandi coniecturas quamvis elegantes atque ingeniosas non esse necessarias, immo Statium potius corrigi quam scribarum errores, quis est quin cum Imhofio consentiat? sed de u. II, 1, 3 a ratione uiri illustrissimi dissentendum nobis uidetur esse. Marklandus enim librorum scripturam *consero* mutauit in *confero*, quod conferre esset uerbum funebre. uid. eum ad III, 3, 134. uocem illustrauit Gronouius diatr. p. 205: „studium et felicitas Papini perpetua in quavis re propria et sua pharsi explicanda. tales ferre, conferre de muniberis functo aut rogo donatis. — in Glaucliam ,egomet cantus et uerba medentia saeuis Confero“. male uulgo: *Consero*. Cruceum Antediatr. p. 63 („quasi uerbum conserere non sit usitatum“) nihil facimus. Duebnerus Gronouii Marklandique emendationem secutus Wakefieldum laudat silu. crit. V. V, p. 108 his uerbis: „medentia laeius confero (postremum in cod. Par.)“ confirmat igitur codicem Par. exhibere *confero*, non *consero*: at Queckius (p. XII) cod. Par. cum Rehdigerano conspirare autumat — utri fidem habeamus? et quae Queckius addit: „ut serere sermonem dici potest, ita conserere cantus“ — non pluris sunt quam quae Cruceus protulit. nos profecto facere non possumus quin *confero* emendationem et rectissimam et necessariam putemus, praesertim quum legamus u. 2 ante rogos et ad huc uiuente fauilla, et u. 35 *confer* gemitus. corruptionis origo per se patet: *consero* dedit scriba conferendi usum funebrem ignorans: et quamvis librorum scripturam nec sensu nec latinitate carere negare non possimus, attamen usus ille conferendi funebris Gronouii Marklandique emendationem extra omnem ponit dubitationem.

## II

Imhofius ut praestantiam codicis Rehdigerani etiam magis probaret, de cond. p. 40 sq. aliquot siluarum locos conscripsit „quibus aut ex uno hoc codice aut ex consentiente cum aliis salutēm affulsisse“ demonstraret; in quibus honorata lectionem (II, 2, 2) metri causa ferri non posse Aem. Grosse p. 16. monuit. cur in eis IIII, 8, 60 h o s lectionem ex consensu Rehdigerani et secundae manus codicis Parisiensis esse restituendam dixerit, prorsus non intellegimus: nam lectionem illam pro eo quod uulgo legebatur *hoc iam* Geuartius restituit, Gronouius diatr. p. 288 probauit, Marklandus auctoritate editionis Parmensis confirmauit in ea clare legi *hos* monens: et ita restitutum est in omnibus editionibus quas manu terimus. — u. V, 3, 62 Marklandus plena s taedas se non intelligere confessus ex commutatione litterarum ph et pl scriptum fuisse phenis suspicatus est pro phestis i. e. festis. Quam coniecturam a Marklando in textum non admis- sam Imhofius p. 41 Rehdigerani mendosa scriptura fedis confirmari dixit. postea uero ubi cognouit, non plenis uocem, sed taedis mendose legi in Rehdigerano fedis, in annotatione ad hunc uersum (ad ux. p. 21) explicationem plenarum taedarum conatus est. „plenum dici constat, inquit, quidquid non mancum est aut dimidiatum, sed totum et integrum, ita ut nil desit aut desideretur. — saepe de aetate dicitur qua ad perfectionem et maturitatem peruenire solemus, sicut Verg. Aen. VII, 53: plenis — annis; Val. V, 258: plena iuuenta; Verg. Aen. XII, 121 plenae portae; Ouid. amor. II, 11, 41 pleni zephyri etc. etc.“ sed in omnibus his exemplis de certo numero accipendum est cui nil deest. et quum taedarum nuptialium numerus non plus quinque fuisse constet (Plut. quaest. rom. 2), quis est qui poetam filiae esse plenum taedarum nuptialium numerum uaticinatum putet? at non taedas solum sed plenum et integrum nuptiarum apparatus intellegi uult Imhofius oppositum „uiduo cubili et tristi puellae otio“. fortasse concederemus plenas sic posse accipi, nisi magis nos moueret eiusdem carminis u. 70

Nec tantum Roma iugales

Conciliare toros festasque accendere taedas

Fertilis etc.

ubi omnes libri et manu scripti et impressi consentiunt. iteratio apud Statium quam non esset causa emendandi praeter Imhofium Aem. Grosse satis magno exemplorum numero contra Marklandum docuit, ita ut nemo adhuc dubitare possit quin Statius repetitiones non solum non euitauerit, immo uero interdum expetiisse uideatur. itaque facere non possumus quin cum Marklando u. 62 legamus

sed uenient festis, uenient conubia taedas

sicut Queckius in textu, eodem quidem errore ductus quo Imhofius de cond. p. 41; dicit enim p. XXI: in Vrat. enim est fedis. — u. V, 1, 183 Imhofius ex auctoritate Rehdigerani pridem flore omissa praep. in legi iubet: abest reuera praepositio ea a Rehdigerano, sed alia uox illius loco exstat: pridem te flore et sic accuratius uersus restituendus est:

— Vidi omni pridem te flore nitentem,  
Vidi altae proprius propiusque accedere dextrae.

u. II, 1, 99 Marklandus uulgatam lectionem parens contra Heinsium ad Ouid. Metam. VII, 435 patris scripturam editionis Parmensis probantem defendens: „Italia a patre nihil metuere, inquit, habebat, sed a patruo Amulio, qui eam indignis modis tractabat et uinctam in carcerem dabat“. Queckius in textu Marklandum sequitur, praef. p. XIII Rehdigerani secura patris haud displicere declarat: quin igitur optimi codicis scripturam in textum recepit, praesertim quum auctoritate aliorum bonorum codicum confirmaretur? nam patrēs uocem sensu destitutam apud Imhofium typographi errori deberi persuasum nobis est.

De his igitur locis secus iudicandum esse nobis uidebatur: iam illum locorum numerum paucis augere nobis liceat, praesertim eis quos Imhofium iniuria omisisse existimemus. et primum quidem de refringendi uerbo u. II, 1, 123 iam Marklandus dubitauit et „forte infringere“ legendum esse suspicatus est, spreta lectione edd. pr. Parmensis infigere, quae auctoritate Rehdigerani confirmatur. neque etiam Queckius optimi codicis optimarumque editionum uetustarum lectionem recipere ausus est, refringere explicans emendare uerba, meliora reddere: „refringere enim, inquit, de articulanda uoce, et is, qui loquitur articulata uerba, refringit uocem, et is, qui infantem id docet“. huius refringendi notionis exempla neque Statiana neque aliorum scriptorum ueterum addidit neque profecto habebat quāe adderet: nec dixit cur esset infigere suspectum. minime uero suspectum est, immo uerissimum et genuinum et Statio sine ulla dubitatione reddendum, id quod ante nos uidit Aem. Grosse p. 35.

u. I, 2, 252 omnes quantum scimus libri habent

Hunc ipse Coo plaudente Philetas

Callimachusque senex Umbroque Propertius antro  
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis  
Naso Tomis diuesque foco lucente Tibullus.

Coo plaudente Rehd. Leid. Par. edd. pr. Parm. Rom. „sed cod. Drakenborch. choro, ut Auantius correxit“ (Hand. ad h. l. — de illo codice Hand. praef. p. XXVII). Marklandus lectionem edd. Parm. et Rom. defendit his uerbis: „prima in Cous recte corripitur,

ut apud Marcellum Epircum de Medicin. u. 5: Quodque Cous docuit senior.“ Marcellus autem in rebus prosodiacis Handius parum auctoritatis tribuit neque etiam Parrhasii Bernartiique opinionem probat, nomen insulae longa syllaba, breui uero nomen ciuum afferri. Burmannus ad Propert. III, 7, 44 corrigi iubet ipse hunc Coo plaudente Philetas. „tamen transpositione, addit, uerborum cum periculo haud facili difficultatem expediens.“ Valckenarius ad testim. de eleg. Callim. p. 30 (ap. Hand.) in Coo plaudente nullum sensum tolerabilem esse affirmat, immo plenum et optimum in uoce genuina choro plaudente, choro nimirum Appollinis et Musarum, quibus Elegia se uelut decimam immiscuerit. eius sententiam Handius sequitur, quum Cois in hac pompa nullus omnino locus esse possit. et profecto non est neque eiusmodi quidquam in uerbis poetae inest. quid igitur? conexus sententiarum ad percipiendum facilis: omnia carminum genera ad celebrandas Stellae nuptias inuitat poeta. nam si adessent, et Philetas et Callimachus et Propertius et Ouidius et Tibullus diem laudare ambirent. iam unusquisque eorum poetarum epitheto quodam est ornatus: Callimachus senex appellatur, ad Propertium accedit Umbrum antrum; Naso in ipsis Tomis tristis dicitur, Tibullus foco lucente diues — nudus adstat Philetas: an putas Philetae soli plausisse chorū istū Apollinis et Musarum? minime uero, nec Philetæ nec reliquis poetis plausit chorus, sed, si plausit, Stellae et Violantillae. at choro plaudenti hic omnino locus non est et librorum auctoritatē sequamur necesse est: Coo plaudente, id est, Philetas cui Cous plaudit. noli putare Coum plaudentem insertum esse a librario quodam insulso propter Philetam Coum: eodem iure Umbrum antrum inuentum esse propter Propertium Umbrum dixeris, nobis Valckenario Barthio Handio aliis repugnantibus Coo plaudente genuinam esse lectionem persuasum est. et ita fere Queckium iudicauisse uidemus et miramur quod librorum scripturam in textum non admisit. metri difficultatem sustulit Duebnerus ad h. l. laudato Hymn. Homer. in Apoll. u. 42:

*Mιλητός τε Κώας τε, πόλις Μερόπων ἀνθρώπων.*

similiter u. I, 3, 95 corripitur syllaba prima uocis Plias:

Haec per et Aegaeas hiemes Pliadumque niuosum  
Sidus.

et si non nobis, fortasse Lachmanno credes ad Lucret. III, 374: „— Coo Statii siluarum I, 2, 252 est a recto *Κώας*, eodemque modo scriptum in Ciceronis ad Atticum epistularum libro IX, 9, 2“.

u. II, 6, 97 omnes editiones exhibent *meritusque dolorem*, Marklandum secutae, qui hoc uerius putauit Gronouii emendatione qui edidit *meritusque*

doleri: at emendatio Gronouii ingeniosissima confirmatur auctoritate codicis Rehdig. et edit. Parm. Horat. Sat. I, 3, 120

Ut ferula caedas meritum maiora subire  
Verbera.

Claudian. Rapt. Pros. II, 86

merear diuino pollice carpi.

cf. eiusd. Bell. Gild. 28. — neque etiam plus suspicionis habent lectiones Rehdigerani et Parmensis II, 7, 26

Sic fixum Paridis manu prementis  
Peliden Thetis horruit cadentem.

Leid. Par. Rom. Ven. Vic. potentis, Ald. trementis. Gronouius Aldum secutus est, Marklandus trementi coniecit, quod suauius esset quam Paridis trementis. sed proba et genuina est lectio codicis optimi, nam prementis est opprimentis, occidentis — neque intellegi potest, cur Queckius sequiorum codicum scripturam obruit contra Rehdigeranum, quem Gronouius Marklandus Duebnerus sequuntur, recipere maluerit.

u. III, 3, 194 uulgo legitur a h quanto. Heinsius Ouid. Her. 18, 21 at quanto propositus (et ita Parmensis). genuinam lectionem praebet Rehdigeranus hoc quanto.

eiusdem carm. u. 215 pro futili conjectura Marklandi ex optimo Rehdig. est restituendum sancit.

u. III, 4, 68 omnes editiones haud ullo, Rehdigeranus haud illi, et hoc uerum putamus. u. 70 magnam uidemus uirorum doctorum dissensionem: uulgatam lectionem haud ullo prima editio princeps mutauit in aut nullo; Marklandus coniecit et nullo, Lachmannus a nullo. sed uulgatam esse genuinam et Queckius et Aem. Grosse uiderunt, uterque de lectione Rehdigerani errans: Queckius in hoc codice inesse aut nullo, Grosse haud illi affirmat, quum habeat collatio Silligiana clare autullo i.e. haud ullo.

u. IIII, 3, 10 rectissime Queckius ex auctoritate Rehdigerani restituit prouisum pro eo quod Gronouius Marklandus Duebnerus habent praeuisum: male autem uulgatam primum seruauit eiusdem libri u. 4, 10 ubi ex auctoritate Rehdigerani edd. pr. Parm. Rom. primam sc. salutem legendum est. sic etiam V, 3, 77 supremo restituendum esse Rehdigeranus confirmat pro eo quod Geuartius Gronouius Marklandus recent. probauerunt supremos; supremo facile defendi posse Marklandus in Addendis concessit. eiusd. carm. u. 194 Rehdigeranus elegantissimam et certissimam lectionem praebet strictam, et u. 213 sed (et ita Parmensis), quas Queckius spernere non debebat.

Mirum in modum Imhofium iudicare uidemus de u. IIII, 1, 45, ubi Marklandus

uulgatam lectionem tunc omnes patuere fores non intellegens quippe quum fores deorum sua sponte patentes mali essent ominis „bonis autibus criticae se litauisse“ dixit quum hunc locum ita restitueret:

Tunc omen plausere fores laetique dederunt  
Signa poli.

eum reprehendit Imhofius de cond. pag. 30 confirmans omnium codicum scripturam omnes patuere laetoque esse genuinam. omissa est hoc loco — typographi haud dubie errore — lineola inter plausere laetique et patuere laetoque, quam alibi posuit, ut aliquot uerba esse omissa indicaret; cf. p. 26 (I, 3, 8), p. 27 (I, 3, 42. II, 1, 9), p. 28 (II, 1, 125). Laetoque polo Marklandus postea (sub finem eiusdem annotationis, p. 192) genuina esse concessit: „stare tamen potest laeto polo: ut dicat, fores dedisse signa polo, quae polus sequeretur, et fulmine comprobaret: unde statim sequitur, Jouem annuisse et hoc Jani uotum et omen confirmasse et sanxisse. et uerum est laeto polo“. uulgatam scripturam explicare conatus est Duebnerus his uerbis: „clauso Jani ostio contra patuere omnes fores sc. deorum, siue templorum. Janus se clausit, at ceteri (dei) templa sua aperuerunt benigni ominaque dederunt principi“. recte igitur uidentur se habere fores deorum patentes clauso Jano — sed quid legimus apud eundem Imhofium paucis paginis post (p. 38)? „multa ex consensu marginis Par. cum aliis codd. imprimis Vratislauensi restituenda, uelut — — IIII, 1, 45: Tunc omnes plausere dei“. plausere igitur uocem, quam p. 28 quippe a Marklando inuentam, otiosam et nihil necessariam declarauit, decem paginis post ex consensu optimorum codicum genuinam esse affirmat! et quinam est ille consensus cum Vratislauensi? si Silligianae collationi fides est tribuenda in hoc praestantissimo codice legitur:

Tunc omnes patuera dei laetoque  
— eundem esse dixeris consensum cum Marklando! iam uero dei uocem genuinam esse putamus, spuriam plausere, quam nescio unde sumpserit qui bonorum codicum lectionem dei margini codicis Parisiensis adscripsit: deos a poetis dici pro templis uel simulacris deorum quis est quin sciat? bene igitur Queckius patuere uocem restituit, quem optimi codicis scripturam dei spreuisse nolimus.

Nimis autem Imhofius auctoritati Rehdigerani codicumque reliquorum indulsisse uidetur u. V, I, 83. omnes enim exhibit

Ille iubatis

Molem immensam humeris et uix tractabile pondus  
Imposuit.

iubatos humeros Domitius Calderinus fortissimos esse uoluit, a iubatis leonibus epitheton: „nam leonum generositas iuba spectatur, ut ait Plinius.“ probauit Bernartius,

oblocutus est Politianus, qui iubatos esse dixit pueriles. Marklandus secutus est quam Aldus proposuit emendationem subactis: „translata est uox e re rustica: in qua terra seu solum dicitur subigi cum aratro frangitur et usibus agricultae habilis redditur: domare tellurem uocat Virgilius“. contra Imhofius de cond. p. 15: „subactus non dicitur, qui usui et proposito nostro aptus redditur, sed maceratus, deuictus, fatigatus, corporis aut animi laboribus multum exercitus. — Abascantii enim humeri quum primum molem immensam muneric a Domitiano delati susciperent, nulla antea officia publica experti erant, ut e praecedentibus uersibus perspicitur, uerum robusti nominantur et “ponderi imposito“ pares. quod ipsum poeta audacius aliquanto metaphora a leonis ceruicibus iubatis est indicaturus.“ artificiosior quam uerior haec librorum scripturae explicatio nobis esse uidetur. nec facere possumus ut ei assentiamur. subactos recte humeros uocari censemus, quibus „moles immensa et uix tractabile pondus“ imponantur. sic Clau-dian. Bell. Gild. 114:

Ast ego, quae terras humeris pontumque subegi  
Deseror;

ubi frustra fuerunt uiri docti numeris, armis, iuuenis conientes. Herod. II, 106: *Ἐγὼ τὴν δε τὴν χωρητικότητα ἀμοιβήντες επιτίθεμαι.* et Imhofius quidem consensu tantum librorum cedens iubatis lectionem defendere conatus est: emendationem enim Marklandi non solum esse ingeniosissimam et pulcherimam, sed etiam necessariam ipse sensit, quum pagina sequente scriberet: „iam in iis uersibus qui proxime sequuntur, Statius pergit in enumerandis iis officiis, quibus „iubati“ Abascantii humeri subigebantur.

u. II, 7, 111 Gronouius diatr. p. 121 reclusae legit explicavitque his uerbis: „seu tenes beatum in campis Elysiis et bene meritum nemus quietis, quam tu inducto et reducto Orpheo reclusisti.“ Marklandus primo hanc Gronouii explicationem probauit: postea autem, ubi antiquiores editiones Venetam (i. e. pr.) Parm. Rom. (et ita Ms. Flo-rent. teste Gronouio) habere merito comperit, non dubitauit quin Statius scripsisset merito — reclusum, quam emendationem Silligius in textum recepit. at in Ms. Florent. non erat reclusum, sed reclusi (Gron. diatr. p. 119), quam uocem etiam collatio Rehdigerani Silligiana exhibit. Queckius Marklandum secutus est, uariae lectionis ne mentione quidem facta. quidquid id est, reclusi uocem esse corruptam constat: dubitari potest utrum Statius reclusae an reclusum scripserit: merito uox bonis codicibus editionibusque satis confirmatur. de illo thesaurum Imhofii adhuc nobis negatum, quando ad lucem prodierit, omnem dubitationem esse sublaturum speramus. indidem genuinam scripturam exspectamus u. IIII, 2, 25. Imhofius quidem (de cond. p. 39) ex consensu edd. pr. et Parm. cum eo quod in margine est codicis Parisiensis, Aetheris esse re-

stituendum censet, quam uocem litteris inclinatis imprimendam curauit, quum in recentissima editione inesset Marklandi coniectura Aetheros. at editio Parmensis, si Marklando fides est habenda, clare exhibet Aetheros.

u. III, 5, 53 Marklandus falsa opinione ductus Statium aequabilitatem temporum ubique diligenter obseruauisse et iterasti pectore parum latine dici arbitratus iteras de pectore legendum esse censuit. sed Statium saepius compluribus temporibus praesentibus formam temporis praeteriti uel temporibus compluribus futuris formam temporis praesentis inseruisse iam supra monuimus. constat igitur talibus locis eam esse genuinam lectionem, quae librorum auctoritate maxime probetur. hoc parum curans Imhofius, sed Marklandi peruersam explicationem refutaturus ad auctoritatem marginis codicis Parisiensis scripsit iteras in pectore, id quod „tacite, me non sentiente, foues adhuc mortui memoriam“ interpretatus est. postea autem, quum eclogam ad uxorem sigillatim ederet, ad scripturam omnium codicum iterasti reuertit, in praepositione omissam esse monens ut u. 14, ad quem laudat Theb. VI, 822. X, 220. silu. III, 3, 14. V, 1, 248.

Paucis locis Imhofium a collatione Rehdigerani editioni Dresdensi praemissa dissentientem deprehendimus. p. 28 ad II, 6, 6 omnium codicum lectionem esse dicit arcte — collatio Dresdensis ad te tamen; p. 30 ad III, 3, 5 peierante — coll. Dresd. pierante; p. 32 ad V. 5, 80 genitum — coll. Dresd. gemitum.

Duos denique locos adscribere liceat, quos apud Imhofium de cond. p. 44 desideramus, ubi errores editionis Teubnerianae metricos uel typographicos enarrat: III, 3, 5 perierante et III, 3, 130 uti; hac noce metrum uiolari Muellerus monuit (quaest. p. 8), in eo tantum errans quod praeter Queckium Bipontinos solum uituperat, quum uti uocem etiam editio e recens. Gron. Mannhemiana an. 1782 clare exhibeat.

### III

Tertia disputationis nostrae parte de locis Statii nonnullis agere nobis liceat, qui in libris tam corrupti leguntur, ut sensus probus excudi nullo modo possit, neque adhuc uirorum doctorum emendationibus sanati esse uidentur.

I, 3, 9 codices et editiones uetustissimae exhibent

Ipsa manu tenera tectum scripsisse uoluptas.

Rehdig. ipa — tecum. Lindenbrogius coniecit Visa manu etc. (Handii errorem de

Aldina secunda sustulit Imhofius de cond. p. 42), quam uocem auctoritate codicis Senensis dicit confirmari Gronouius (diatr. p. 58: de quo codice conf. Imhof. eclog. ad ux. p. 2.) conjecturam Lindenbrogii Gronouius probauit diatr. l. l., abiecit obseru. II, 14, quia mollius esset intellegendum uidetur aut credi potest. neque uero in hac una uoce difficultas posita est: nam difficilus est ad intellegendum quid sit scribere tectum. Bernartius condere tectum, Barthius sibi vindicare explicuerunt, Cruceus (succid. 265) et Nic. Heinsius, qui etiam tectum tersisse coniecerat, ad Ouid. Her. 14, 128 de inscriptione et picturis sermonem esse uoluerunt, Gronouius diatr. l. l. et El. Antidiatr. p. 68 ex similitudine Vergiliani (Aen. I, 429.)

Pars optare locum tecto et concludere sulco uoluptatem locum elegisse et designauisse arbitratus est. sed quum nemo hoc sensu tectum scribere dixisset, Handius in commentario tectum uocem esse corruptam suspicatus scribendi uerbum absolute usurpari ut esset descriptionem facere censuit: in uestigiis igitur codicis Rehdigerani et editionis principis pro tectum uoce coniecit fertur et Statium scripsisse putauit

Ipsa manu tenera fertur scripsisse Voluptas.

fertur iam Marklando in mentem uenerat, qui primo quidem (in annot. ad h. l.) uisa lectionem probauit, postea uero (ad V, 1, 33) tenera uocem omnino otiosam ratus legi uoluit

Ipsa manu fertur tectum scripsisse Voluptas.

sed quomodo accipi posset tectum scribere non addidit. nec placet Handii illud scribere absolute usurpatum. fertur autem uox omnino necessaria esse uidetur neque desiderari posse siue pro tenera siue pro tectum uoce illapsa. quid igitur? grauius mendum iam in Archetypo fuisse neque etiam scripsisse Statii esse uidetur. sic igitur uersum restituimus:

Ipsa manu tectum fertur posuisse Voluptas.

Primo enim manu tectum a scriba haud insulso in manu tenera depravatum et pro posuisse scriptum est PVSISSE, unde cum ultima littera uocis praecedentis RPSVISSE postea in scripsisse abiit: deinde uocem tectum forsitan a correctore repositam fertur a suo loco summouisse haud absimile est. ne quis cum Handio tectum propter domus uocem praecedentem ferri posse neget! tale neminem in Statio offendere potest. ponere pro eo quod est condere, aedificare poetis non inusitatum. Horat. carm. IIII, 12, 5

Nidum ponit Ityn flebiliter gemens

Infelix aus.

epist. I, 10, 13:

Ponendaeque domo quaerenda est area primum.

Ouid. Metam. III, 130

Cum posuit iussam Phoebeis sortibus urbem.  
cf. XV, 59. *tecta Cyclopum manu firmata* (al. *formata*) Claudian. Rapt. Proserp. I, 23.  
I, 5, 10

Iunge puer cyathos et enumerare labora

Cunctantemque intende chelyn.

sic editiones exhibit ueteres et Teubneriana, quamuis producta et syllaba violentur leges metricae. uarias lectiones uid: apud Imhofium ecl. ad ux. p. 3: et enumerare O. It. (et ne enumerare V,) atque enumerare BUS, atque etiam enumerare R. Scriuerius ad Martial. IIII, 40 proposuit: set ne numerare labora. haec poscere et metrum et sententiam ait O. Muellerus quaest. p. 26. sententiarum autem conexum hunc esse putamus: „cedite hinc, quotquot estis, Musae, Phoebe, Euan, Mercuri, Naides, et tu, mea Thebais, pone paulum arma: dilecto uolo lasciuire sodali. iunge puer cyathos etc.“ Gronouius uulgatam atque enumerare probans sic disputat (obseru. II, 3): „continua cyathos, puer, aliasque super alios porrige, et ipse labore sume enumerandi: mihi non uacat, qui inter bibendum Etrusci cano balnea“. aliter Geuartius Scriuerii conjectaram secutus (Pap. lect. cap. 36): „uult enim poeta largius sese inuitare et numerum cyathorum confundere, ideoque non uult ullum arbitrum esse quam multos exauriat“. quam explicationem Marklandus probat alteram frigidorem esse arbitratus. ad Gronouii autem interpretationem reuertit Aem. Grosse obseru. p. 15 in uestigiis Rehdigerani legens cyathos et iam enumerare labora. nobis uero neutra explicatio placet et recte addidisse putamus Marklandum: cui enim bono numeraret cyathos puer? in ipso enim enumerandi uerbo sensum non deprehendimus: immo corruptum esse censemus et Statium scripsisse

Iunge puer cyathos et iam properare labora

Cunctantemque intende chelyn.

contra omnium quidem codicum auctoritatem emendauimus locum, sed sententiarum conexum talem emendationem poscere nobis persuasum est.

II, 7, 58 omnes libri exhibent

Ingratus Nero dulcibus theatris

Et noster tibi proferetur Orpheus.

quos uersus Gronouius diatr. p. 183 explicat: „nempe cum enumeret libros opusculaque Lucani poeta existimat inter alia Lucanum composuisse poema nomine Ne-  
ronis, ut alterum nomine Orphei. et uerum est. auctor uitae Lucani: prima ingenii ex-  
perimenta dedit quinquennali certamine. hoc ipsum opus designat Papinius. ingratus

autem uocat Neronem, qui nequaquam uicem ei reddidit, primo aemulatus, mox refrigerans deprimensque, denique occidens". Marklandus uersum spurium esse existimauit, quod fieri non posset ut Statius Neronem Caesarem ingratum appellaret. quae Gronouius de carmine Lucani Neronis nomine inscripto exposuit, Marklandus nihil curabat; deinde proferetur uocem quam omnes habent codices (Imhof. de cond. p. 28) mutauit in referetur: sed recte explicauit codicum lectionem Duebnerus exhibebitur — dulcibus uidelicet theatris. nam uerba non aliter possunt coniungi nisi tali modo: ingratus Nero et noster Orpheus tibi dulcibus theatris proferentur. quam Queckius proposuit explicationem, eam nos non intellegere confitemur: „secernenda sunt carmina, inquit, epica a scenicis (— quis est quin sciat? —) scenicum et publice recitatum erat carmen illud, quod inscribebatur Orpheus. tu igitur celebrabis Hectora, Priamum et elyios campos et quamquam his omnibus artibus aemulus sit Nero ingratus, introduces tamen Orpheum in theatrum, i. e. non solum amicis tuis canes carmina epica, sed publice prodibis etiam renitente Nerone". explicatio tibi pronominis falsissima est, ueram proposuit Muellerus quaest. p. 28. tibi — a te, scil. proferetur, exhibebitur. quae si ita se habent fieri non potest quin carmen quoque Neronis nomine inscriptum scenicum fuerit. sed quis est cui hoc persuadeatur! dulcibus theatris Orpheus poterat proferri, nullo modo Nero ingratus. at fortasse post Nero uocem interpungendum est et (cum Gronouio) explicandum: quamquam Nero ingratus est, tamen Orpheus tibi dulcibus theatris proferetur. sed particulam coniunctiuam et post duo enuntiati uocabula Statius nunquam posuit. cf. Aem. Grosse p. 45. propterea dulcia theatra ab ingrato Nerone segregari nullo modo possunt. fieri igitur non posse uidetur quin uersus cum Marklando pro spurio habeatur. id quod etiam Imhofius iudicasse uidetur: nam uersum omisit p. 29, quum reliquos uersus quos Marklandus subditios, ipse genuinos putaret, omnes rescriberet; cf. I, 1, 85—87. 2, 56. II, 3, 69. 7, 85. III, 3, 112 sq. 8, 27. V, 1, 19. fortasse omisit quod Marklandus postea (ad u. 69) stare posse uersum concessit, si coniungeretur proferetur cum dulcibus theatris, non ingratus dulcibus theatris; et exhibuisse putauit Lucanum poemata Neronem et Orpheum: de qua re iam supra diximus. denique dulcibus epitheton non nimis sibi arridere Marklandus confessus est et quis est cui arrideat? in hac enim uoce omnis nostri loci difficultas nobis posita esse uidetur: sine dubio dulcibus corruptum est et Statius scripsit:

Ingratus Nero laudibus, theatris  
Et noster tibi proferetur Orpheus.

non Carmen scenicum scripsisse Lucanum Neronis nomine inscriptum, sed laudes Neronis (Theb. VIII, 170: laudes Amphiaraei), ex uerbis auctoris uitiae Lucani apparere

uidetur: prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit. quibus laudibus Neronem fuisse ingratum nemo est qui ignoret. iam sensum habes optimum: Neronem cantabis, quamvis sit laudibus ingratus, et theatris proferes Orpheum. de zeugmate enim neminem esse dubitaturum speramus.

uu. V, I, 92 sq. in Rehdigerano sic leguntur

Omnia iam lassas pilla attolentia frondes

Nullaque fumosa signatur lancea penna.

Salmasius (quem Gronouius ceterique plerique secuti sunt) de coniectura dedit: omnia nam laetas pila a. fr. Nullaque famosa s. l. p. cf. Imhof. de cond. p. 15. Multaque, quod uulgo legebatur, coniectura est Domitii Calderini. Marklandus laetas lectionem ab Auantio propositam margine codicis Budensis confirmatam pro eo quod omnes libri manu scripti ueteresque impressi praeter unum Rehdigeranum exhibent laceras probauit. neque etiam de laetas uoce dubitari posse uidetur, quam Imhofius recte contra Queckium libros sequentem defendit, in Archetypo scriptum fuisse lateas ratus, quod in Rehdigerano in lassas, in reliquis libris in laceras abisset. sed difficilior uidetur ad interpretandum uox fumosa. Gronouius diatr. p. 310 Salmasii coniecturam probare non dubitat neque etiam magni est momenti, quod Marklandus contra eam coniecturam profert: „nam famosa uox aeuo Statii non semper denotabat infamis (quod sensus huius loci postulat), sed celebris et qui multum in fama erat“ (Imhof. l. l. p. 16). uulgatam lectionem Plathnerus defendere conatus est (ad Iuu. IIII, 148. cf. Hand. not. ad Gron. diatr. p. 311): „nuntii alati erant uel pinnati ipsorumque arma, idque, ut opinor, ad exemplum eorum praesidis Mercurii. nuntii tristis rei nigras laetae albas habebant pennas. hoc liquet ex Martial. X, 3, 10, illud ex Stat. silu. V, 1, 92 ubi lego Nullaque fumosa etc. ut sensus sit, a remotis terrae partibus militares nuntios laureatis pilis uenire, nec ullam fumosam, i. e. nigram in lancea cursorum cerni pennam“. at haec ab ipso Plathnero excogitata, a nullo ueterum esse confirmata Imhofius monuit. neutrum uerum esse iam Marklandus sensit, sed uiolentius mutauit d a m n o s a. neque uero uiolenta mutatione opus est, nam paene ultro se praebet coniectura, quae arctissime ad librorum scripturam fumosa accedit: nihil dubitamus quin Statius scripserit:

Omnia nam laetas pila attolentia frondes

Nullaque funesta signatur lancea penna.

funestum dicitur quocunque res aduersas indicat. Ouid. Metam. X, 216 funestaque littera ducta est i. e. dolorem indicans. et bene opponitur lancea funesta penna signata pilis laetas frondes attolentibus (cf. Theb. V, 491). penna autem scribendum esse, non pinna Imhofius monuit. cf. Brambach. Orth. lat. p. 142 sq.

Eiusdem carminis u. 205 in nostris editionibus haec leguntur:

Ille etiam certae rupisset tempora uitae  
certae emendatio est Gronouii diatr. p. 315 proposita pro eo quod antea legebatur  
certe, eamque emendationem et Marklandus et recentiores secuti sunt. neque uero  
coniecturam Gronouii neque eius explicationem, certam uitam esse haud ambiguam,  
nam poetam alludere ad fabulam Admeti et Alcestidis, ferri posse Imhofius demonstrauit  
(de cond. p. 20) uariamque lectionem proposuit: Rehdig. crectae, Sal. erepte, Bud  
euecte, Par. Cap. edit. antt. recte, Ald. certe. Queckius coniecturam Gronouii in  
textum recepit, in praefatione autem fortasse erectae uel rectae scribendum  
esse dixit: quod quo sensu sit intellegendum cum Imhofio non perspicimus. is uocem  
iam in Archetypo fuisse corruptam suspicatur et fractae uitae esse legendum: fractam  
enim uitam eleganter putat dici exemplisque probare studet: sed in exemplis quae affert  
nusquam dicitur uita fracta, sed fracta aetas apud Lucretium (II, 1150 Lachm., ubi  
alii facta), fracta membra labore etc. parum etiam recte dici posse fractam esse Abas-  
cantii uitam Priscillae morte putamus: nam quomodo fracta uita muneribus Caesaris  
u. 94 sqq. satisfacere poterat? uide an Statius scripserit

Ille etiam spretae rupisset tempora uitae.

nullius iam Abascantii amissa coniuge uita est pretii: spernit uitam et una cum  
Priscilla Tartareum Chaos subire cupit: „sed prohibet mens fida ducis iurandaque sacris  
Imperiis et maior amor! sic enim Imhofius uersum emendauit de cond. p. 21. utut de  
uoce iuranda iudicas (in libris est mirandaque), certissima est lectio codicum  
editionumque ueterum ducis: nihil est quod Abascantium possit prohibere quominus  
uitam abiciat — dux prohibet. uocem spretae habes apud Statium Achill. I, 205.

II, 1, 67

Muta domus, fateor, desolatique penates

Et situs in thalamis et maesta silentia mensis.

uocem fateor frigidissimam sententiarum conexum foede interrumpere iam Marklandus  
uidebat: et profecto miraremur, si non uidisset. coniecit igitur Statium scripsisse pa-  
riter. at quicunque totum hoc carmen leget iterumque leget, facere non poterit quin  
fateatur in pulcherrimis id esse poetae nostri carminibus numerandum. quod si ita  
est, pariter uox non minus frigida est quam fateor. neque meliora sunt quae apud  
Queckium exstant (praef. p. XIII) muta domus facies et muta domus Melior.  
Imhofius codicum consentientium auctoritati nimis indulgens fateor scripturam  
genuinam esse arbitratur (de cond. p. 27): sed conspiramus cum Queckio qui eam cor-  
ruptam esse censet. uidetur nobis Statius scripsisse

Muta domus penitus desolatique penates  
Et situs in thalamis et moesta silentia mensis.

non est cur offendamur similitudine uocum penitus — penates: amat Statius tales repetitiones uocum eadem littera, imprimis p incipientium. cf. silu. II, 1, 162. 206. 234. Markl. ad II, 4, 32. neque etiam alienum est penitus a Statio:

Ach. II, 31

licet et sua pulset  
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque  
Dissimulant.

Theb. III, 613

Mugiat insano penitus seclusus in antro.

VI, 944

penitus latet exitus ingens  
Monstratumque nefas.

VIII, 271

Tempus erat, iunctos quum iam soror ignea Phoebi  
Sentit equos penitusque cauam sub luce parata  
Oceani mugire domm.

